

## **Dispvtationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Sect. 5. An omnes actus liberi diuinæ voluntatis sint ab æterno, & sint  
immutabiles.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](#)

liberū dicam similiter, esse impossibile quod aliqua diabolata ita se habeant, ut unum possit existerē, alio non existente, & tamen quod in re non distinguantur. Voluntas autem divina, & effectus ille formalis liber, ita se habent: ergo &c. Item effectus illi formales liberi, qui potuerunt esse in Dei voluntate, & de facto non sunt, debent necessariō distinguui à voluntate, ut non ens ab ente. Ergo ex natura rei distinguuntur, & secundūm essentiam. Ergo si existent, pariter distinguenterunt: quia si existent, haberent eandem essentiam.

Secundūd directè Respondeo, voluntatem diuinam liberē tendentem in objectum, non esse duo absoluta: sed esse rem unicam & simplicem, quæ se ipsa, & sine additione ullius intrinseci distincti, sufficiens est ita se habere. Quemadmodum res ipsa creatrix sunt sufficietes ut multis modis se habeant, absque accessu ullius distincti à parte rei, intrinsecè aduenientis. Et quamvis possit res esse, & non tali modo se habere: non propterea potest unum existere, alio non existente: quia, ut dixi, non est unum & aliud: sed tantum potest res non tali modo se habere, quo se habet per suam entitatem ad hoc sufficientem, neque indigentem accessu ullius distincti ut taliter se habeat: ut ostendemus Disp. 5. de Incarnatione, sect. 6. & 7. vbi doctrina de modis explicabitur, quæ hic obiter explicari sufficienter & confirmari nequit. Patitur benignus Lector tam gravius difficultatem suum in locum remitti. Similiter licet voluntas diuina non tendat ad multa obiecta, eo modo quo potuit rendere: non propterea debent concipi duo, quæ distinguantur, tanquam ens à non ente: vel tanquam ens necessarium per essentiam, & ens contingens per essentiam. Tantum enim est unum ens, & una essentia voluntatis, quæ per seipsum tenderet aliter in obiecta, nō vellet. Sicut res creatæ seipsis formaliter durant, extenduntur, mouentur, quietescunt &c.

Opponit tertid, sequeretur primū aliquid quod ex se nihil est, & re ipsa posset manere sub nihilo, esse verè formaliter ac essentialiter Deum: & è conuerso, aliquid quod nunc est verè & essentialiter Deus, tale esse, ut absolute & quendam posset non esse. Hoc autem maximè pugnat cum Deo. Quia cum Deus sit ens per se necessarium, & hoc sit maxime proprium eius, & in quo primariō distinguuntur à quolibet alio ente, impossibile est quod aliquid ens liberum sit essentialiter Deus. Secundūd, sequeretur perfectionem diuinam realem, prout nunc est, in rerum natura, talem esse ut partim necessariō sit, partim potuerit non esse. Quod admittere non minus est absurdum in simplici entitate, quam per modum compositionis. Imò maiorem inuoluit repugniam quod una simplex entitas, in uno sim-

plicissimo esse, includat illas duas conditiones, necessitatis essendi, & potentiae ad non essendum. Nam si illa entitas habet unum simplicissimum esse: ergo ipsum illud ab intrinseco est necessarium, & propter tale est, est de essentia illius entitatis. Ergo impossibile est ut illamet entitas, secundūm idem omnino esse reale, sit ens contingens quantum ad aliquid, quod absoluē posset non esse & manere sub nihilo.

Respondeo primū hæc duo incommoda, quæ Suares deducere conatur, manifestè rejici posse in ipsius sententiam de informatione libera, aut effectu formalis non necessario, quem Suares facetur non distinguui à Deo ex natura rei, & quem negare nequit esse aliquam perfectionem, ut sapientius probauimus. Nam talis informatione, vel effectus formalis contingens & liber, potuit non esse, iuxta Suares argumentandum modum: & tamen est verè formaliter essentialiter Deus. Item est aliqua perfectio non necessaria: indistincta tamen à perfectione Dei necessaria, id est, ab actu necessario diuinæ voluntatis, ut facetur Suares.

Secundūd respondeo directè, actum librum Dei non esse aliquid, quod ex se nihil sit, & re ipsa posse manere sub nihilo: sed esse aliquid: cuius entitas est ab solutè necessaria, quamvis possit non tali modo se habere ad obiecta. Similiterque perfectio divina, quod totam suam entitatem est absolute necessaria: Licet eadem entitas non necessariō se habeat ad obiecta tamen vel tali modo, poteritque non ita se habere: neque propterea cum ita se habet, aliquid illi distinctum & intrinsecum adueniat: sed se ipsa sufficiat ut taliter tendat obiecta. Et de hac difficultate hactenus. Alia enim quæ contra eandem nostram expositionem opponunt Heretici disp. 16. cap. 4. & alii Recentiores, coincidunt cum superioribus, & quatenus nobis nocere co[n]tantur, ex dictis facile solvi possunt.

## SECTIO V.

¶ Verum omnes altius liberi diuina voluntatis sint ab aeterno, & sive immutabiles?

C Onclusio affirmativa patet ex dictis disp. 6. sect. 1. vbi partim ex Scriptura, partim multis Sanctorum Patrum testimonijs, probauimus Deum nihil incipere velle in tempore: sed ab aeterno & in æternum invariabilitate & immutabilitate velle quicquid vult. Ibidemque sect. 2. ostendimus quomodo libertas cum immutabilitate Dei stare possit. Superest ut respondeamus argumentis aliquorum Receniorum, qui sententiam tam omninem & tam certam impugnare ausi sunt, deque cognitionibus Dei contingentibus simili modo philosophantur.

330  
Omnes 2a  
tus liberi  
diuina vo  
luntas sunt  
ab aeterno,

300 Disput. XIV. de Deo, Sect. V.

Ac prime dicunt, Deum licet ab æterno  
sit cognitio apprehensua cuiuscunque co-  
gnoscibilis: postea tamen in tempore incipere  
esse iudicium aut voluntatem alicuius, cu-  
ius anima non erat iudicium nec voluntas.  
Quæ sententia, inquit, teste Gillio lib. 2.  
tract. 8. cap. 9. est plurimum Doctorum: &  
hanc in terminis tenuit Antonius Delphi-  
nus quem citat Reinaud. In Theolog. na-  
tural. dist. 8. quæst. 2. num. 78. Item Ma-  
ior. in 1. dist. 39. quæst. vna propositione 4.  
vbi sic habet: Si Socrates sedeat, iam Deus  
scit Socratem sedere, & est iudicium verum  
illius, & non est iudicium illius contradic-  
torij. Sed si Socrates protinus surgat, vel  
aliter se disponat, quām sedendo: iam Deus  
incipit scire hanc, & esse iudicium eius. So-  
cates non sedet: & deinceps scire hanc affir-  
mationem, quam antea sciebat. Idem, in-  
quiunt, docet Ruunion. dist. 39. quæst. 1. vbi  
sic habet: Cum in diuinâ scientia non sit  
ceptio, per consequens Deus illa quæ non  
sunt facta, non intelligit esse facta: nec fa-  
cta intelligit non esse facta. Ergo aliquod  
verum intelligitur nunc à Deo, quod non  
fuerat antea intellectus. Idem denique do-  
cet Gabriel. Et. citat. quæst. vna, vbi ad  
illam obiectiōnē, Deus aliquid de nouo  
cognoscit, quod prius non cognovit: ergo  
est vicissim in cognitione diuina: distin-  
guit. Si sermo sit de cognitione simplici,  
nego antecedens. Si de cognitione iudicati-  
onis, concedi poterit. Quia de nouo iudicat  
propositionem veram, quæ de nouo vera est.  
Et negat consequentiā quia nullus est noua  
cognitione in Deo, sed eadem est iudicatio, &  
quæ prius non erat iudicativa. Sic ille. Non  
est autem de actibus voluntatis in eo dis-  
paratio.

Respondeo primò sententiam illam, quod  
attinet ad cognitiones contingentes, facere  
Deum ignarum ab æterno plurimarum ve-  
ritatum, quas in tempore tantum cognos-  
cit. Si enim tantum apprehendit, & non  
iudicavit ab æterno Socratem. v. g. sedere  
hoc tempore: ignoravit ab æterno hanc ve-  
ritatem, quæ tamen erat scibilis, Socratem  
nimis sedere hoc tempore. Facit etiam  
cognitionem Dei crescere, prout multipli-  
cantur obiecta de quibus Deus noua iudi-  
cia format. Item facit Dei iudicium con-  
tinuò variari. Nam Deus ab æterno iudi-  
cauit hinc Incarnationem esse futuram us-  
que ad tempus quo exiit. Neque enim  
sine hæresi manifesta negari potest Deum,  
præscire futura. Erat autem proprius futu-  
ra continuò, quod magis accedit tempus  
in quo re ipsa exiit: ergo Deus continuò  
varia iudicia quibus cognoscet nunc  
diffidat minus quam ante sicut de nouo ve-  
rum erat, quod tunc minus quam ante di-  
staret. Similique modo varia et semper sua  
iudicia circa Incarnationem ut præteritam,  
prout semper descepit longiori & longiori  
tempore exhibita est, et ei plus ac plus  
temporis fluxit ab Incarnationis exhibitione.

Respondeo secundò, Gillium loco cit.  
non asservare sententiam illam, est plurimum  
Doctorum: sed tantum ait n. 6. non desu-  
fe Theologos qui verbo tenus admitterent  
mutationem in intellectu & voluntate di-  
uina pro diuersitate temporum ad quæ re-  
ferri possunt. Ita ut v. g. antequam Verbum  
incarnaretur, Deus vellet incarnari, nunc  
autem id non velit: Et antea scire esse in-  
carnandum, nunc autem id non sciat, quia  
nunc falsum est, sed sciat esse incarnatum,  
quod tunc nesciebat. Quam mutationem,  
inquit, reducunt ad diuersa connotata. Nam  
cum actus liberi Dei compleantur conno-  
tatione, siue respectibus ad obiecta ad quæ  
referuntur: mutatis obiectis, ipsi quoque  
actus mutantur. Paulò post xero num. 7.  
concludit non esse vlo modo dicendum,  
voluntatem vel intellectum diuinum mu-  
tari: & mutationem quam fingunt præfa-  
uctores, esse tantum Grammaticalem. Si-  
ue autem illi Auctores quorum confusè tan-  
tum meminim Gillius, sint ijdem cum pauci  
nominatim suprà citatis, ut ego existimo,  
( quia nullus aliis Catholicorum referunt  
deflexisse hac in parte à communi senten-  
tia ) siue non: dico præferendos esse paucis  
Nominalibas, qui non raro liberius quam  
par sit opinantur, omnes alias Theologos,  
& sanctos Patres, contrarium sentientes, &  
Scripturam in eum sensum accipientes, ut  
ostendimus citata disp. 6. sect. 1. Denique  
idem Gillius paulò post cap. 10. num. 1. af-  
firmat, omnes negare fieri posse, ut deinde  
aliqua vicissim penes actus Dei liberos,  
id est, ut ipse postea exponit in cursu ca-  
pitis, aliqua etiam nouitas, aut cessatio ac-  
tuum liberorum.

Respondeo tertio, Reinaudum loco cita-  
to plusquam dubitare, num Antonius Del-  
phinus, vir Catholicus, ita senserit, & eò  
vsque progressus sit, ut affirmauerit Deum  
ratiæ de facto incipere velle aliqua prius  
non volita: & desinere velle alia ante voli-  
ta, posseque actum voluntis suæ suspende-  
re ac permittere. Que, inquit, mihiincredibi-  
le ferè est à viro Catholicō, & docto,  
ac Religioso familię Præposito asserta esse:  
Tres verò alij Nominales sunt, id est, ut suprà  
dixi, in opinando libiores: quorum primus  
Ioánes scilicet Maior scilicet alia probacione al-  
sumit. Iud ipsum quod in quæstione est.  
Ruunionis vero consequentia est vitiosa, &  
malè deducta. Gabriel denique non ci-  
tatur fideliter, & sibi aperit contradicit, si ait,  
Deum de nos iudicare, & tamen non de  
nouo cognoscere. Quasi vero iudicare for-  
maliter non sit cognoscere & intelligere:  
adeoque non sit plànè impossibile iudicare  
de nouo, & non cognoscere de nouo. Sa-  
nè evidens est aliud cognoscere, & intelli-  
gere illum qui tantum apprehendit signifi-  
cationem horum terminorum, Deus est tri-  
nus in personis, & illum qui iudicat & al-  
sensit Deum esse trinum. Et si Deus ali-  
ci reuelaret se esse prædestinatum, cogno-  
sceret

ceret hanc veritatem, quam anteā non cognoscet, quamvis terminorum significacionem apprehenderet.

Aliud secundū suam sententiam probat apertis Scripturæ testimonijs, si terminis nulla vis inferatur. Primi enim Deus per Ieremiam capit. 18. v. 9. si Iudeis spondet: *Si penitentiam egerit gens illa à malo suo: agam & ego penitentiam super malum quod cōgīrās facere ei.* Hoc est, revocabit sententiam de malo inferendo. Quod si Deus non sit liber ut de novo velit, pollicetur se voluntarum id quod erit posita conditione, quæ poni possibilis est, non posse velle. Similiter, si prius noluit: frustra minas intentat, cum non possit, etiam conditione posita, nolle malum. Sic enim subdit vers. 10. *Si fecerit malum in oculis meis: penitentiam agam super bonum quod locutus sum ut facerem ei.* Secundū, inquit, hanc sententiam supponit Psalmista, cum ait Psalm. 6. *Conuerte Domine & eripe animam meam.* Et Psal. 8. v. 7. *Deus tu conuersus viuiscabis nos.* Et Psalm. 89. *Conuerte Domine usquequæ, & deprecabis esto super seruos tuos.* Et Ierem. 2. v. 15. Deus sic loquitur, *Cum euilsero eos conuerter, & miserebor eorum.* Et Ioel. 3. v. 8. *Conuerte vir à via sc̄mala: quis sis si conuertatur, & ignoscat Dominus?* Hæc autem, inquit, male solvi videntur, cum dicunt ibi Scripturam de Deo loqui ut de homine. Nihil enim cogit ita torque sensum Scripturæ, cum in terminis versus esse possit. Quando vero ait, *Penitentiam agam: recte verbo.* Ad verbum reddendo sensum, intelligi potest: habebo voluntatem aliam, seu alterius: hoc enim significat *utramque* Itaque deberet Psalmista non dicere, *Exaudi me Domine & miserere mei: sed, Utinam exaudiueris me, & miseris sis mei:* non precando, sed exoptando. Hæc illi.

Ad quæ Respondeo primò, non esse rerum dicere vim inferri Scripturæ quandam ponitur consensu quo Sancti Patres communiter eam exponunt. Hoc enim est contra Tridentinum sess. 4. Paragr. *Præterea ubi ad coercenda, ut ait, peccantia ingenia, decernit ut nemo contra uanitatem consensus Patrum Scripturarum sacram interpretari audeat.* Secundū, ad omnis Scripturæ loca citata Respondeo verbi Origenis homiliaz. in Numer. longè ab inicio. *Hoc omnia tropico & humano more accipienda sunt ab Scriptura dici.* Aliena est porro anima natura ab omni passionis & permutationis affectu, in illo semper beatitudinis spicce, immobilitate & inconcessa perdurans. Ad scripturam autem sic explicandam cogit consensus Sanctorum Patrum, quorum plurimos citauimus cap. 6. sect. 1. & immutabilitas divina quam Scriptura diuina secundam sensum eundem Patrum explicata commendat, locis ibidem relatis. Tertiò respondet Lutheranus fauere expositionem illam verbis, *utramque pro mutare voluntatem præcisæ sequitur omnibus Catholicis aduersam, qui*

Tomus. I.

merito contendunt, plus eo verbo significari in Scriptura, & verbo, *panitere, aut, penitentiam agere,* Græcæ voci respondere in versione vulgata, ut videtur est auid interpretes D. Thom. 3. p. initio q. 8. & Bellarm. lib. 1<sup>o</sup> de penitent. capit. 7. Neque propterea debuit Psalmista definire postulare à Deo effectus illos suos misericordiæ, quos non decrevit ei dage nisi sub conditione quod petereret, & præuisis ipsius precibus. Hoc etiam non impedit quoniam Deus per verba promissa, vel comminatoria, possit enunciare futuros effectus suos vel misericordiæ, vel iustæ iracundiæ, quos ab æternō ponere decrevit ex hypothesi bonorum operum, ad qua hortatur, vel malorum à quibus detergere vult.

Opponunt tertio hoc argumentum: Nihil iam irreuocabiliter habitum, aut impossibile haberi, cognitum ut tale, debet aut potest rationabiliter ab aliquo peti. Nam preces non pro habito funduntur, sed pro habendo. Pro habito vero gratia agi debet. At qui supposito quod Deus nihil liberè nunc velit, nec posse velle, quod non voluerit ab æternō; irreuocabiliter vult, aut numquam volet: ergo non debet ab eo peti ut velit parcere, ut peccata dimittat, ut nos amemus quod consequens falso est & hereticum.

Respondeo posse rationabiliter peti ab aliquo id quod nobis dare non voluit nisi sub conditione quod peteremus, & ex hypothesi petitionis præuisit, & cuius adhuc aliquid superest dandum intuitu nostræ petitionis. Quemadmodum potest rationabiliter exigere premium pro domo data sub conditione pretij suo tempore soluendi: Cuius possessione per soluendum pretij stabilienda est. Sic aliam penitentiam à Deo ut velit parcere, ut peccata dimittat, ut nos amemus. Petimus, inquit, non purg. actus Dei internos & æternos, per quos tamen non voluit parcere, aut amare nisi sub conditione orationis præuisit, vel alterius operis exhibendi suum tempore, sed & effectus temporaneos, quos Deus nondum exhibuit, & quos non exhibet, nisi præuisit precibus & alijs bonis operibus. Malè vero instant Deum non potuisse præcipere preces fundendas pro aliquo dato irreuocabiliter, sed dumtaxat potuisse rationabiliter gratias exigere, adeoque non posuisse exigere preces pro voluntate parcendi vel amandi, quam ab æternō habet irreuocabiliter. Quidni enim possit præcipere id cuius intuitu, & sub cuius conditione & onere voluit parcere vel amare, & sine quo non voluit? Sicut à Christo exegit mortem, cuius intuitu voluerat irreuocabiliter ab æternō, hominibus parcere & multis iam re ipsa parcerat. Nam Deus mortem Christo præcepit ut per eam mereretur remissionem peccatorum, non modò eam quæ facienda erat deinceps Christi posteris: sed & illam quæ omnibus anteris facta erat, tempore legis naturæ & Mosaicæ, tametsi irreuocabiliter facta

Potest  
Deus orari  
pro aliquo  
quod sub  
conditione  
orationis  
præuisit  
dare volunt  
ab æternō;

TIND  
US  
I  
VI

erat: proque illis omnibus Christus cruentum sacrificium æterno Patri obtulit ad illum propiandum. Cum autem addunt aduersarij esse inintelligibile quod Deus eundem & è simul & oderit, velut ei summum bonum expers omnis mali, & simul summum malum: neque satisfacere si datur amare & odire respectu diuersorum temporum: nam amor & odium terminatur ad personam, non ad tempora: & in humanis liqueficiunt experientia id esse impossibile: cum, inquam, hoc addunt, ostendunt quam angustè, & demissè deo sentiant: longèque absunt à mente. D. Augustini, & aliorum Patrum, de amplitudine infinita mentis diuinæ aliter sentientium, imò auctor non foris Deum si vicissitudinem etiam simplicem, id est, sine contrarietate volitionum, subiret, ut patet ex Augustini & aliorum plurium testimonij pax retulimus disputat. 6. sectione 1. numer. 7.

41. Amor denique specialis, & odium Dei, non terminatur ad personam purè sumptam, sed consideratam sub circumstantijs propter quas amore speciali, vel odio digna est, in gratia, vel in peccato mortali: ac proinde in ordine ad tempus pro quo persona est in gratia, vel in statu peccati mortali. Non est autem necessarium existere re ipsa huiusmodi circumstantias, ut Deum moveant ad amandum vel odio habendum. Sufficit enim soluta carum præiustis certissima, quam Deus habuit ab æterno. Et quidem Deus elegit nos a Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti Ephes. 1. adeoque antequam esset ipse Christus, qui fuit medium aut fundatum huius electionis. & ab æterno prædestinavit electos, ex præiustis operibus, aut conditionibus: similiterque reprobos pœnis æternis destinavit, ex malo statu finali præviso.

Opponunt quarti: Id omne falso supponitur, ex quo sequitur Deum non esse liberum, sed omnia prorsus excidisse à sua libertate. Atqui si Deus à primo instanti æternitatis non potuit libere eligere volendo, nolendo, aut non volendo: ab eo instanti non est liber, sed excidit à sua libertate: Ergo falsum est Deus ab eo instanti non posse libere eligere, volendo, nolendo, aut non volendo. Maist, inquit, est de fide, Quia de fide est Deus esse liberum. Minor probatur, quia potentia non est libera pro ea duratio, pro qua impossibile est ut actum ita exerceat ut possit non exercere, aut usum ullum nouum sua libertatis habere, aut cessare ab habitu. Sed in ea opinione Deus ita se habet: ergo in ea non est liber, nec unquam fuit liber nisi in primo instanti sua æternitas.

Respondeo: illud primum instans æternitatis esse chimæricum. Aeternitas enim cum sit duratio interminata & interminabilis, caret principio & fine durationis, at

proinde caret primo & ultimo. Neque mihi obseruatis implicat dari primum instans ab æterno, & terminata à parte ante, quām dari ultimum à parte post. Quare Deus non fuit liber in primo instanti æternitatis. Sed fuit liber ab æterno, & adhuc est, quatenus eius voluntas non fuit de se, neque ab ullo extrinseco necessitate, ut tenderet, modo quo tendit, in objecta contingentijs: sed ab æterno liberetur determinauit ut tali modo tenderet, id est, tali modo tendit, quia voluit, potuitque ab æterno non tendere, aut iam tendere opposito modo si voluisse, quamvis ex hypothesi quod se determinauit, maneat necessarij in illa libera determinatione per æternitatem, ratione immutabilitatis, & constantiae perfectissimæ in volendo, incapaci omnis vicissitudinis, & hoc solum sensu de fide est Deum liberum esse. Alius vero sensus intentus ab Adversarij non modò non est de fide, sed est contrarius sanctis Patribus, & sacris literis iuxta communem eorum interpretationem acceptis, ut ostendimus disp. 6. sect. 1. In forma, igitur distinguo Maiorem: id omne falso supponitur ex quo sequitur Deum non esse liberum, id est, Deum non libere se determinasse ad ea quæ voluit, quamvis invariabiliter maneat in determinatione semel habita ex suppositione quod iam illam prehabuerit: concedo. Non esse librum alio sensu, ita ut etiam nunc possit mutare sus decreta, definendo velle aut nolle quod ante volebat, aut nolebat, siue ob diversa motiva & circumstantias mutatas, siue non: aut incipiendo velle, aut nolle, quod ante non volebat, aut non nolebat: Nego. Minus similiter distinguenda est. Deus non est nunc liber ad mutandos suos actus internos liberos, & ad incipiendum aut desinendum velle, aut nolle aut non vellere: concedo. Deus non est nunc liber per denominationem à libera electione aetatis seu tendentiae quam ab æterno libere sufficerit, id est, non habet nunc tendentiam voluntatis, ad quam habendam non fuit necessarius, sed ab æterno libere eam elegit: nego.

Opponunt quinti: Deum propterea non mutatum iri, sicut non fuit mutatus ab æterno per actus aeternos. Quia nihil plus habet per actus temporaneos, quin habuit per æternos: & ex opposita sententia sequi Deum primò fuisse, eiusque duracionem claudi terminis, ac posse dubitari num horā tantum ante mundi creationem extiterit: & non posse actum liberum voluntatis ab æterno existentem, eodemque semper modo & invariabiliter se habentem applicare efficaciter omnipotentiam ad agendum in tempore. Idem enim omnino manens idem, si necessarij operetur, operatur semper si non pendeat ab aliqua conditione. Volitia autem Dei, & omnipotencia, non pendent ab ullo tempore, aut conditione extrinseca. Sed his omnibus abun-

dē iam responsum fuit disp. 6. sect. 1. & 2.  
quam consule.

## SECTIO VI.

De ordine decretorum diuinā voluntatis rūm  
inter se, tum etiam respectu cogni-  
tionis diuinæ.

**S**VPPONO IMPRIMIS, licet Deus vno a-  
ctu simplicissimo realiter omnia intelli-  
gat, & velit s' illum tamq[ue] virtualiter, &  
æquivalenter esse multiplicem, posseque à  
nobis in multos per rationem distinguui. Pos-  
sumus enim concipere illum actum inad-  
quatè, prout est intellectio, non cogitan-  
do de codem prout est volitio, aut noli-  
tio. Et rursus prout est intellectio, aut vo-  
litio talis obiecti in particulari, aut prout  
est obiecti alterius. Quod dum facimus, dis-  
tinguimus conceptu actum intellectus ab  
actu voluntatis, & actum veriusque facul-  
tatis re vnicum, in plures secundum ratio-  
nem diuidimus. Contra quem modum con-  
cipendi partim friuola sunt quæ opponun-  
nuntur à Nominib[us], p[ro]p[ri]am etiam falsa,  
partim Scripturæ, Concilijs, & Patribus,  
certisque fidei principijs minus consentanea  
vt fusè ostendemus tom. 4. disp. 17.

**S**ubordinatio virtutis diuisos, aliquando concipitur ef-  
se subordinatio, virtualiter scilicet, & per æ-  
quivalentiam, id est, cum fundamento in-  
re: quatenus æquivalent pluribus distinctis,  
quorum unus alium presupponit, ac si reip-  
sa essent in Deo distincti (vt sunt in crea-  
turis) unus formaliter aliud presupponeret,  
& quasi ab illo penderet. Nam quia  
voluntas diuina non fertur in incognitum,  
sed sicut nostra, presupponit cognitionem  
obiecti, vt conditionem necessariam ad vo-  
lendum aut nonendum: idcirò talis ordo  
esse concipitur inter actus intellectus & vo-  
luntatis diuinæ, vt cognitione & propositione  
obiecti si prior volitione circa illud ver-  
fante eo modo quo proponitur. Prior, in-  
quam, non formaliter & re ipsa, sed virginaliter & per æquivalentiam. Neque tamen  
tempore seu duracione, vt malè fingunt No-  
minales nos imaginari: quasi dicamus ratio-  
nis prioritatem, vel naturam, esse tales, vt  
vnum sit, & aliud non sit, vel vnum sit, &  
non sit, in eodem instanti temporis, diuisio  
in duo instantia rationis. Eterna prioritas  
illa non est prioritas in quo vnum sit, &  
aliud non sit, vel vnum simul tempore sit  
& non sit: sed est prioritas à quo, id est,  
dependens & subordinationis. Et quando  
queritur, an vnum sit in eodem prio-  
ri, in quo est aliud? v. g. An volitio sit in  
eodem priori, in quo est cognitione locutio  
est impropria, & sensus ineptus. Est enī

sensus, An volitio sit talis ut cognitione ob-  
iecti ab ipsa penderat, sicut ipsa penderat à  
cognitione obiectum illud proponeat. Et  
hæc sufficiant in præsenti refutandi vanis  
imaginationibus Gabriëlis in 3. q[ua]stionis 19.  
q[ua]stione vñica artic. 2. conclusione.  
Aliorum vero argumentis respondebimus  
sect. 8.

**D**ixi cognitionem seu propositionem ob-  
iecti esse priorem volitione circa illud ve-  
rante eo modo quo proponitur: quia non omnis cognitione  
obiecti est prior eius volitione: sed ea tan-  
tum quæ illud proponit, & secundum mo-  
dum aut statum quo proponit. At quoquin  
enim potest aliqua obiecti cognitione esse  
posterior eius volitione, quatenus obiectum,  
secundum talum statum quo cognoscitur  
pendet ab actu voluntatis. Ex. gr. cogni-  
tio Petri vt futuri, penderat à decreto vo-  
luntatis quo Deus statuit Petrum produc-  
re, & vi cuius futurus prævidetur. At hæc  
præviso non est illa cognitione quæ Petrum  
voluntati proponit ante ipsius decretem,  
sed tantum cognitione Petri vt possibilis eli-  
gi & decerni. In vniuersum autem actus  
intellectus, & voluntatis ad inuicem  
comparati, vnum actus intellectus seorsim  
aut voluntatis seorsim, inter se collati,  
sunt alij alios priores, quatenus vnum aliud  
virtualiter presupponit, atque ab illo ali-  
quo modo penderat. Sic scientia visionis  
est prior actu voluntatis, quo Deus statuit ali-  
quid ex aliquo præviso: v. g. si Deus nō de-  
crevit Incarnationem nisi ex occasione pec-  
cati Adami, præviso illius peccati fuit  
prior decreto Incarnationis. Et inter actus  
ipsos intellectus diuini ad inicem collati-  
tos, quando Deus cognoscit vnum propter  
aliud, cognitione istius est prior id est, prius  
tendit in hoc obiectum, quam in illud: quia  
istud est illi causa, seu medium & ratio co-  
gnoscendi. Similiterque quando Deus vul-  
vnum propter aliud: actus voluntatis prius  
tendit circa illud, quod est alteri ratio vo-  
lendi. Atque ita intentio finis, etiam ab-  
soluta & efficax, est prior electione mediorum.  
Et si plura media subordinata eli-  
guntur, quorum vnum referatur ad aliud,  
velut ad finem proximum, volitio istius est  
prior volitione alterius. Ex. gr. cūm Deus  
velit, in negotio prædestinationis, voca-  
tionem propter iustificationem, & iustifica-  
tionem propter glorificationem: volitio glo-  
rificationis prior est, quam volitio iustifi-  
cationis: & volitio iustificationis prior est,  
quam volitio vocationis. Cum autem in-  
tentio finis præcedat in priori signo ratio-  
nis electionem, mediorum? abstrahit pro  
illo priori ab his aut illis medijs determi-  
natè, quorum nullum in particulari neces-  
sarium est, & quorum electio ac determi-  
natione pertinet ad posterius signum rationis,